



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Edmvdvs Episc. 16. Novembris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

S. EDMUNDVS EPISC.

16. Novembri.

Anglos Gregorius Angelos dixit. Certè EDMUNDVS fuit. Hic nihil antiquius habuit, quàm eos fugere, qui animorum ipsissimi latrones, Pyladen tamen mentiuntur. Et fortè prator solus inambulabat, cùm videt formâ scitissimâ pusionem; capit salutem, redditque. Audit eum esse, qui latus suum in classe, & ubi ubi esset assiduus stiparet. Mox exaratum in fronte IESV nomen legit, & hoc tunc iustus est contra mortem inopinam memoriæ semper infixum ferre. Tam IESV igitur amicus ausus est sponsam MARIAM ambire; quod ut amor facilius impetraret, annulos sibi geminos fabricavit, è quorû geminâ gemma altera MARIA ab angelo salutata emicabat; horum altero VIRGINIS digitum, altero suum coronavit. Atque ita quidem ille pulchrè virginitatem suam obsignavit. Ceterum cùm stas sponsæ suæ & D. Ioanni preces percurrere omisisset literis absorptus, ferulam Ioannes intentavit dormienti. Itaque à mediâ semper nocte AVRORAM MARIAM veneratus, tum demum sacra volumina ante eburneam illius imaginem lectitavit, non nescius ex hujus potissimum uberibus divinæ sapientiæ rivis scaturire.

At-

Archiep: Cantuariensis factus affirmavit, malle se in ignem, quàm in noxam labi. Exul moriturus, mi IESV exclamavit, te testem habeo, te præter nihil unquam expetisse. Hujus vulnera tunc millies est exosculatus, pectus præsertim faucium, in quod etiam vitam expiravit, nobilem ad invidiam tumulum. *Ex vitâ.*

SS. SAMONAS, GVRIAS
ET ABIBVS MM. 15. *Novemb.*

Triumpharunt tergemini Heroes isti Edeffæ. Alii multa eorum miracula, nos unum narrabimus. Erat Edeffæ matrona vidua Sophia, & huic filia Euphemia; illam virtus, hanc etiam formæ gratia commendabat. Sed & miles præfidiarius Gothus erat, qui oculis puellæ captus eò demum matrem perpulit, ut Barbarum focerum quàm hostem mallet. Prius tamen jurare sibi hunc ad martyrum nostrorum tumulam conceptis verbis voluit, eo loco habiturum se novam nuptam, quo socii thori fides juberet. Facile jurare militi fuit. Ergo in Italiam abducit Euphemiam non dominam, ut ipsa rebatur, sed servam planè, ut qui domi conjugem pridem habebat. Huic insuper forma tam liberalis in ancillâ minimè placebat. Multò maximè libertus ex eâ natus displicebat. Itaq; dolorem

R r 5 vultu